UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bartoli Consilia, Quæstiones, & Tractatus

Bartolus

Lugduni, 1567

Bogensignatur

urn:nbn:de:hbz:466:1-96124

Visual Library

Tertio hec gratia operans coadiuuat, vt quis in ſtudio cepto perſeueret, ne forte ſi deſerat, perdat quod fecit, ſcriptum eſt enim ſicut ab initio audiuiſtis, ambuletis, ⁊ ne perdatis quod operati eſtis. Joan. i. cap. Iſtam gratiam Deus huic tribuit, ita quod de eo vere poſſum dicere, Hic eſt diſcipulus ille, qui in cena recubuit ſupra pectus eius. Joã. xiij. ⁊ xxi. cap. Siue enim prãdendo, ſiue cenando, ſiue ambulando, iſtius intellectus in iuris ciuilis pectore recũbebat. ⁊ nos qui vidimus, qui inſpeximus, manus noſtre contrectauerunt. Joan. iiij. cap. ⁊ prime Jo. i. cap. ⁊ de te poſſum dicere quod tu es illud animal quartum ſimile aquile volanti plenum oculis, ⁊c. Apocaly. iiij. cap. cum enim in terram vnde mihi ⁊ tibi origo eſt inter doctores, tu es quartus ſimilis aquile propter altitudinem intellectus, plenus oculis, hoc eſt virtutibus, circũſpectionibus, vere ergo gratia hic. Jo. hic. Et ſicut vere fuit Joannes ſolum ad apoſtolatum aſſumptus, ſed aſſumpſit Jeſus Jacobum, ⁊ Joan. filios Zebedei, de quibus legitur Joan. xxi. c. ⁊ in princ. ita hunc Deus ad doctoratum aſſumpſit coronandum, ⁊ Joan. fratrem eius filios lucis. Sic enim vocatus eſt pater eorum, merito, vt ex cuius patre lux iſta deſcendit, lucis nomine vocaretur, gratia ergo Dei hic. Sed poſſet quis dicere, quomodo gratia eſt hic, cum de loco paruo eius origo proceſſerit, ſcilicet, de Saxoferrato: Ad hoc reſpondeo, ſi obiectio ſit Joan. i. cap. circa fi. dicitur ibi quod poteſt a Nazaret aliquid boni eſſe, ⁊ ſtatim reſpondetur, veni ⁊ vide doctores qui te examinauerunt, ſcholares qui te audiuerunt, teſtimonium perhibent de te, vt recte poſſis dicere, opera que ego facio, teſtimonium perhibent de me. Joan. v. cap. alibi reſpondet ſcriptura, dicens, Iſte accendit lucernam, ⁊ non ponit eam ſub modio, ſed ponit eam ſuper cãdelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Verba ſunt Chriſti, cuius teſtimonium eſt verum. Joan. viij. cap. Deus itaque qui hanc lucernam ciuilis ſapientie in anima tua accendit, non patietur te poni ſub modio in loco paruo, ſed te ponet in loco eminenti, ⁊ alto, vt luceas omnibus, qui in domo ſunt. ⁊ alibi reſpondetur, Non turbetur cor veſtrum, ⁊c. ⁊ ſubdit, In domo patris mei manſiones multe ſunt. Joan. xiiij. ca. in princ. non ergo turbetur cor veſtrum, tibi fili, ⁊ cuilibet hanc ſcientiam addiſcenti loquor. In domo patris mei hoc eſt ciuilis ſapientie manſiones multe ſunt, quidam enim ad legendum in ciuitatibus regijs aſſumuntur: quidam ad aſſidendum in locis inſignibus preponuntur: quidam ad aduocandum in curijs principum, ⁊ regijs, attrahuntur: alij ad conſulendum in cameris aſſidue requiruntur: alij ad conſilium principum aſſumuntur. hi enim ſunt, quibus Reſpublica regenda committitur. iſte ſunt huius ſapientie mentiones propter quas quilibet Juriſta ſecurus, ⁊ gratioſus redditur, vere ergo Joann. hic, gratia hic. in huius igitur gratie operantis ſignum do tibi librum clauſum, in ſignum gratie cooperantis do tibi librum vt aſſidue ſtudeas, tibi, alijſque proficias. hic enim eſt liber, de quo ſcribit Joan. Apocal. v. cap. ⁊ vidi librum in dextra ſedentis ſuper throno, ſcriptum intus ⁊ foris, ſignatum ſeptem ſigillis, ⁊ infra ſequitur, Nemo erat auſus aperire, niſi leo de tribu Juda. hic eſt liber, qui eſt in dextra ſedentis ſuper throno. hic eſt liber ſignatus ſeptem ſigillis. quoniam Digeſtorum volumina a Juſtiniano in ſeptem partes diuidũtur in titu. de vet. iur. enucleã. hic eſt liber, quem nemo poteſt aperire, niſi leo de tribu Juda, que eſt tribus regalis, quilibet doctor eſt de tribu regali, quoniam ei Reſpublica regenda committitur, vt ſ. dictum eſt. Et hoc de primo. Secundo denotatur in verbis preaſſumptis huius ciuilis ſapientie laus, ⁊ exaltatio propter reuelationem ſecretorum factam intelligẽti, dum dicitur, venit in teſtimonium. Ex teſtimonio enim res ſecrete reuelantur. ſcriptum eſt enim, Tria ſunt, que teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua ⁊ ſanguis, prime Jo. v. caſta ſunt tria iuris precepta, honeſte viuere, alterum nõ ledere, ius ſuum vnicuique tribuere. Per primum quis in ſe viuificatur, ſcilicet, ſpiritus, cui correſpondet honeſte viuere. Per ſecundum homo intra ſe ad diligendũ accenditur, ſcilicet ſanguis cui correſpondet alterum non ledere. Per tertium ad actũ dilectionis exhibendum impellitur, ſcilicet, aqua, cui correſpondet ius ſuum vnicuique tribuere. ¶ Primum igitur, ex quo homo intra ſe viuificatur, eſt ſpiritus, propter qđ debet honeſte viuere, hoc eſt huius ciuilis ſapientie teſtimonium, qui enim his, que iuris ciuilis ſunt, priuati ſunt, mortui dicũtur, hoc eſt, quod religioſi appellant aliquos ciuilibus actis eſſe priuatos, qui fecerunt peccatum ad mortem. vt dicitur prime Jo. vlt. c. qui hac ciuilitate eſt priuatus, eſt mortuus, ergo qui hac ciuilitate potitur, viuit vere. ergo ſpiritus eſt qui viuificat. Per ſecundũ homo intra ſe ad diligendum accenditur. in hoc enim cognoſcetur quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilexeritis me dicit hec ciuilis ſapientia. Joan. xiij. c. qui enim non diligit iuſtitiam, non eſt eius diſcipulus. vt eo. c. dicitur. Per tertium ad actum dilectionis exhibendum repellitur. ſcilicet, per aquã, cui correſpõdet ius ſuum vnicuique tribuere. Aqua enim huius ciuilis ſapientie per ſuos occultos riuulos omnibus tribuit quod eſt ſuũ. Iſta eſt aqua, quam Chriſtus miſit in peluim, ⁊ lauit pedes diſcipulorum. Joan. xiij. cap. Iſta enim eſt aqua per quã pedes eccleſie lauantur, hoc eſt nodoſitates, ⁊ dubia, que in ea occurrũt tempore litis dirempte, ⁊ licet Petr. dixerit, Domine nõ lauabis pedes meos in eternum: tamen ei reſponſum eſt, ſi non lauero te non habebis partem mecum. Ita in propoſito, licet ſtatutum ſit per eccleſiam vt iura ciuilia per religioſos ⁊ clericos non diſcantur, ⁊ ſic pedes non lauentur, tamẽ ſi hec ſcientia nõ lauabit in eorum curijs, iuſtitia non erit ⁊ ſic non habebit partem mecum hec ſcientia, que figurata eſt in quinque panibus, ⁊ duobus piſcibus, ex quibus ſaturata eſt turba. Jo. vi. c. quid enim aliud quinque panes, niſi quinque volumina librorum huius ciuilis ſcientie, ſcilicet, Digeſtum Vetus, Infortiatum, Digeſtum Nouum, Codex, ⁊ Volumen: duo piſces, ſunt duo ſenſus legales, ſcilicet, ſenſus literalis, ⁊ ſenſus argumentalis. Ex iſtis enim quinque panibus, ⁊ duobus piſcibus, totus mundus ſaturatur, Laus Deo, ⁊ gloria, Amen.

Finis.

Series chartarum.

a b c d e f g h i k l m n o p q r s t v x y z A B C D E F.
omnes ſunt quaterniones, preter F. quinternionem.